

SS. in quibus tamen nihil, unde de loco, tempore, possessore statuas.

LXVI.

U. 70 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 376. 4. tribus exaratus columnis, media crassiuscule scripta, fittit *Psalterium* utrinque *Postillis Nicolai de Lira* O. M. stipatum, quae multoties typis excusa sunt. Praefatio inchoat: *Propheta magnus surrexit in nobis. Luce VII. Quamuis liber psalmodum apud hebreos &c.* Igitur imperite quis *Conradi Salzer* nomen praefixit. Celebre fuit *Salzeri* nomen in Academia nostra, sed is *Ambrosius* fuit et Sec. XVI. floruit. Reperitur quidem apud *Ederum* et in *Locheri Spec. Acad.* *Conradus Selder* vel *Selder de Rotnacker* Procurator Rhen. et Philosophiae ad ann. 1449. 59. et 66. Decanus, Rector item Acad. a. 1461. qui fortasse *Salzer* scribendus erat, at certo de Codice nihil nisi operam calami, aut possessionem sibi vindicare potest. Ad calcem *Psalterii* legitur: *Finitum in 3^a feria post oculi.*

Fol. 374. p. 2. Exponitur Oratio Dominica hoc ingressu: *Pater noster. Circa istam orationem quedam notanda sunt in generali. primo quod ista oratio dominica populo debet dici alta uoce ut audiat et discat. Hinc greci habent istam consuetudinem quod eam una cum sacerdote cantant. Istam orationem precepit gregorius in missa super eukaristiam dici, sed scolasticus*

composuit aliam ibidem dicendam. Ex his coniecta de toto.

LXVII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 72 Folior. 408. 4. coagmentatus est e diversis sacri argumenti Opusculis a diversis conscriptis, quorum potissima haec sunt: *Psalmi Davidici* priores VIII. et post eos *Cantica Biblica* cum expositione quadam. Fol. 28. p. 2. Quaesita varia de Statu religioso, de Fide, et Personis divinis. Fol. 37. Prolusio in laudem Philosophiae moralis in illud *Senecae L. I. Epist. 8. Philosophie seruias ut tibi contingat vera libertas.* Fol. 39. Farrago Positionum ex omni Theologia, ubi Nomina *Alexandri de Halis* sive *Alensis*, *Thomae*, *Bonaventurae*, *Durandi*, *Henrici de Hassia*, *Nic. de Lira* &c. Fol. 177. Sermones X. quorum priores IX. habiti in *Cena Domini*, et ex his VI. ad *Scotos* Ord. S. *Bened.* *Vien.* annis 1441. 42. 44. 45. 47. 48. ut Clausulae subjectae docent; decimus vero in *Festo Purificationis* ad Membra Academiae *Vien.* Fol. 289. *Sermo Domini cardinalis Cameracen. factus in Concilio constant. die dominica qua cantatur Letare ierusalem Anno &c. 1416.* Init: *Letare ierusalem. Hoc breue uerbum magni gaudij expressiuum &c.* et habetur inter Opera *Petri de Alliaco* edita *Argent.* 1490. f. Fol. 297. *Traclatus de reformatione ecclesie, cuius initium: De reformatione ecclesie plura dudum per me scripta nunc*

nunc compendiose recolligere et sacri generalis concilij Constan. examini atque correctioni presentare decreui &c. Ejusdem magni Viri, extat in *Append. T. II. Opp. Gersonis* edit. *Amst. col. 903. f. Fol. 308. Sermo Reuerendissimi p. et domini Cardinalis Cameracen. pronuntiatus die omnium sanctorum ad sacrum Constan. Concilium. In illud Apoc. XII. Signum magnum apparuit in celo mulier amicta sole &c. Incipit: Hec mulier que in verbis propositis tanquam signum magnum in celo apparuisse dicitur &c. Et finit: ut nobis sue claritatis splendorem, sueque caritatis ardorem infundat, quod ipse precibus et meritis sanctorum omnium prestare dignetur, qui &c. In edit. *supracit. Argent. duo de eodem Festo leguntur Petri Sermones, non vero hic tertius, quem proinde ineditum habeo. Fol. 317. p. 2. Sermo domini Cancellarij parisiens. factus in concilio Constan. Die natiuitatis virginis. In illud: Jacob genuit Joseph virum marie &c. Matth. I. Initium: Invocandum te deum imprimis iudicamus &c. Extat in cit. Gersonis Opp. T. III. col. 1345. Fol. 329. Collatio facta in principio disputationum aularium Anno &c. LVIII. Wienne per M. Johannem alberstorff licent. Init: Fragilitas humane nature quamuis sit excelsis natalibus stabilita &c. Rector Academiae praefuit Joh. hic Knaber de Alberstorff a. 1450. Disputationes Aulares feriarum scholasticarum tempore habebantur. Fol. 357. Sermo, ut e calce praeoc-**

cupo, m. Beronis factus in die parasceues ad clerum in aula ducali Wien. studij. Ejus initium: *Lacescente stomacho cunctisque admodum inanitus viribus et uirtutibus de huius sacrosanctae diei mirandis prostuiijs &c. De hoc Berone de Ludofia nihil comperi, nisi Decanum fuisse Facult. Philosophicae a. 1446. Fol. 361. p. 2. Sermo factus per eximium virum Johannem de Tittmaning sacre theologie professorem feria sexta post Bartholomei ad Reuerendissimum in christo patrem et dominum dominum Sigismundum Archiepiscopum insignis ecclesie Salzburchen. nec non sedis apostolice legatum natum. In illud: Qui sequitur iustitiam diligetur a domino. Prov. XV. Initium: Sacrarum scripturarum seriem propensius contemplanti duplex iustitiae occurrit genus &c. Itaque totus in Iustitiae explicandis officiis infumitur, dum sub finem ad praesentem rerum cardinem deflectat. Advenerat Neostadium Sigismundus a Volkersdorf Archiep. pacem inter Fridericum Imp. et Provinciales Ladislaum pupillum ab eo repentes a. 1452. tractaturus. Rem habes ex Aenea Silvio et aliis apud Hanszium *Germ. sacr. T. II. p. 488. Ad eum consalutandum Universitas Suorum quosdam Neostadium ablegasse videtur oratore viro celebri et jam bis Academicis fascibus claro Johanne Gröf-sel, qui, quod Tittmaningae in ditione Salisburgensi natus erat, eo acceptior Sigismundo futurus fore sperabatur. Hujus igitur curas sub finem, ut dixi, deposcit, et**

et quidem ipsius Regionis merito. Adornata comperitur summi culminis apice secularis, ait, potestatis in terris. Pollet enim clarissima sanguinis generositate inuictissimi principis et domini domini nostri friderici Imperatoris romanorum semper augusti. Insuper non minus claret et floret nobilitate purissimi sanguinis Serenissimi principis et domini domini nostri Ladislai regis Vngarie, Bohemie &c. ac ducis Austriae &c. qui ducatus fines tutelae pontificalis cure Vestre non egreditur. Ceterum quanta fulgeat copia gloriosissima Illustrum principum et dominorum Bauariae ac austriae potentissimorum, neminem puto latere. Sed quid Pater celeberrime tanta potestas terreni culminis tanta generositas preclarissimi sanguinis profectus ac incrementi suo toti afferre potest, si rebus gerendis in illis ordo non seruetur, si inter se diffenciant, et frater contra fratrem disceptet, dominus contra dominum, plebeius contra plebeium &c. Et concludit: Quare ego nomine et vice vniuersitatis studij wienn. matris mee D. V. R. oro precor et humiliter obsecro per immortalem deum cuius causa nunc prope est in manibus vestris, per populi vestri et provinciae nomen celeberrimum, per pietatem si qua est in terris, ut non tardet R. D. V. manus efficaces porrigere ad tantam diuersitatem de medio submouendam et ad votiuiam unionem procurandam &c. Procurata est haec ad tempus Ladislai iuuenis traditione. Legationis tamen nostrae mentio-

nem nullibi reperi, quae auctoritatis in Academico Corpore ea tempestate residentis argumentum est. Fol. 369. Sermo bonus de pace et iustitia. In illud: Veritatem et iudicium pacis iudicate. Zach. VIII. et in illud: Diligite iustitiam, qui iudicatis terram. Sap. I. Init: Ex verbis jam dictis sumo thematis verba ista &c. Est ad Academicos, factus, ut in calce habes, sub anno 1450. per M. Conradum Wann, sed per fratrem eiusdem editus. Fol. 381. Sermo factus, ut e calce praeoccupo, anno 1449. in vigilia conceptionis beate virginis Wienne apud beatam virginem in littore per M. p. de Kemnat. Lego Paulum Wann praecedentis fratrem, de quo infra. Aedes haec B. V. alias ad Scalas dicta quondam Dioec. Passau. fuit. Sermo ipse ad Academiam habitus, et Virginis ortum sine labe propugnans Thema habet illud: Sanctificauit tabernaculum suum altissimus. Pf. XLV. et incipit: Exultemus in domino et spiritali iucunditate letemur &c. Fol. 388. sequuntur Acta ad Concilium Provinciale Salisburgense praefide Nicolao Cusano S. Petri ad Vincula Presb. Card. et Nicolai V. Pont. per Alemanniam Legato a. 1451. mense Febr. celebratum, et quidem ad negotium Jubilaei ibidem promulgati pertinentia. Silere de hoc Concilio Historicos Salisburgenses, ait Hanszius Germ. Sacr. T. II. p. 483. ipse, quae adfert, e Duellii Miscell. L. II. mutatus. At nihil ibi de Jubilaeo. Expectari poterant aliqua

qua a nupero *Concill. Salisburgg.* editore *Dalbamo*; verum et is nihil ultra *Duellium* vidit, nisi quod p. 221. verba refert *Job. Gasperi*, alias *de Gasparis* e mf. *Lutherianismi Historia: Habita est Synodus a Friderico IV. Archiepiscopo, cui et Nicolaus Cusanus Cardinalis interfuit &c.* quibus in verbis Viri illius fidem desideres. Non enim *interfuit* modo, sed praefuit *Cusanus*, ut tenor *Decreti ead. pag.* docet: *Idcirco sacro Salzburgenfi Concilio, cui Autoritate Sanctissimi Domini nostri Domini Nicolai Divina providentia Papae V. praesidemus &c.* Ita et in Cod. nostro fol. 390. p. 2. *presidente reuerendissimo domino Nicolao tunc sancti petri ad vincula presbitero Cardinali &c.* Sed haec ἐν παροδοῦ. Jam Acta ipsa enumeremus. 1) Norma *Jubilaei* a *Cusano* data incolis opidi *Wienn.* Templata ad preces pro venia noxarum fundendas adsignat *ecclesiam matricem sancti stephani alias omnium sanctorum et eius filiam videlicet ecclesiam sancti michaelis, Monasterium beate virginis scotorum ordinis sancti benedicti et Capellam ejusdem gloriosissime virginis marie in littore.* 2) Similis Norma data 3tia Febr. incolis *Salczburgensibus, et Dioecesis Gurczen. Seccouien. kyemen. et lauen. que in dicta Dioc. salczburgen. incluse sunt.* 3) Literae supplices Abbatis et Conventus *Monasterij lambacensis ord. S. B. Patqv. Dioc.* in superiore *Austria* ad Card. *Cusanum* pro obtinendo conscientiae Arbitro, qui Coenobitas ab om-

Denis Codd. Theol. V. II. P. I.

nibus peccatis, etiam reservatis, absolvere possit, et pro *Jubilaei* participatione. 4) *Leonbardi* (a Layming) Ep. *Passav.* Norma *Jubilaei* a *Cusano* pro sua pariter Dioecesi impetrati. *Data Pat. XX. die Mens. februarij Anno 5^{c.} quinquagesimo primo.* Omnia haec non ita comparata, ut iis faveant, qui res Ecclesiae illorum temporum tanquam ad perniciem profligatas deplorare amant. Cetera *Codicis* intervalla, ut jam monui, *Adversariis* e scholastica Theologia carptis occupantur. Haec ad fol. 125. his literis insigniuntur: *M. P. W. d. k.* quibus compilatorem vel possessorem produnt *Magistrum Paulum Wann de kemnat* Palatinatus super. oppido, cujus, uti et *Conradi* fratris, jam superius memini. Viros hos e Patria sua secundo *Istro*, ut mos, ad nos defluxisse, et *Conradum* quidem sacris non initiatum fuisse fua dent ea, quae olim e veteri membrana notavi, et sic habent: *A. D. 1487. extremum clausit diem Conradus Wann civis Budensis in die s. Romualdi, et prius: A. D. 1484. 10. Sept. missus est Jeronimus Wann per genitorem ad magistrum Paulum patauien. Canonicum, et ante istud: A. D. 1484. 12. Aug. sub hora 3. et 4. ante meridiem obiit genitrix Margareta Pauli Wann. Unde confici possit: Translata Budam familia Conradum absolutis Viennae literarum studiis ibidem civitate donatum, et filio Hieronymo auctum liberalioris institutionis ergo hunc Passavium ad Patrum opimo Sa-*

G cer-

cerdotio fruentem ablegasse. Per-
venisse *Paulum* fat quidem cito ad
istud Sacerdotium, illud probat,
quod in Academia nostra non nisi
Procuratorem *Rhenanae Nationis*
a. 1454. egisse reperitur; incla-
ruisse vero *Passavii* sacris ad Po-
pulum dictionibus demonstrant re-
petitae earum Sec. XV. Editio-
nes, quarum Seriem adscribo:
Sermones Dominicales. Passavii
per Job. Petri 1491. 1494. 1497.
f. Hagenoae per Henr. Gran
1497. 1499. 4. Sine l. et a. duae
4. ad quarum unam in calce di-
cuntur Sermones hi collecti intra
annos 1468—69. demum Qua-
dragesimale Monachii per Johann.
Schopffer f. a. 4. Munificum prae-
terea se in Academiam nostram,
teste Ederi Cat. Rector. ad an.
1517. exhibuit Paulus fundatione
Contubernii feu Bursae Hayden-
haim. Exige ad haec, quae de eo
Job. Launoyus in Append. Dissert.
de Auctore Libror. de Imit. Chri-
sti. Paris. 1663. 8. p. 137. et er-
rorem, quem non unus erravit,
inter Patavium et Pataviam feu
Passavium observa.

LXVIII.

R. 762 Codex membraneus germ. Sec.
XV. Folior. 332. f. egregie per-
scriptus, fronte florulenta et co-
loribus cultus, praemisso Psalmo-
rum et Canticorum Indice, hanc
Rubricam praefert: *Hie vabet an*
die vorrede, wer die glose über
dem psalter gemachet hät, vnd ni-
colaus von lyra ist sin namen ain
barfuosse vnd ain boher lerer vnd

vabet alsus an. Propheta magnus.
Habemus itaque *Psalterium cum*
Glossa Lyrani germanice reddi-
tum cum Praefamine, in quo de
Psalmorum vario intellectu, Auto-
ribus, et ipso Glossatore brevi-
ter agitur. Initium est: *Es ist zu*
merkent das etlich psalmen sind die
man bloslich allain nach der ge-
schrift verstät vnd das selb haisset
liplichen verstanden als die Juden
die alle hailige geschrift liplichen
(leiblichen) vnd nit gaitlichen
verstündent &c. Mox ipsius Ope-
ris methodum altera ita docet
Rubrica: *Dis ist der tutsch psal-*
ter. In zwayerlay wise. Zu dem
Ersten die Glose mit dem Texte.
Vnd zu dem andern male die la-
tinischen vers vswendig vff dem
spatium (in margine) vnd darnach
über yeglichen psalmen wer In ge-
machet hät. Primum igitur cujus-
vis Psalmi Argumentum, quod
Nofter die *Vmb geschrift* adpel-
lat, deinde quivis Psalmus *synegus*
cum Postillis, adjectis in margine
Versiculis latinis. Primus, qui ar-
gumento caret, incipit: *Sülig ist*
der man der nit abgieng in den
raut der unguoten. Das ist. Sülig
ist der der da vest stät in guoten
werken vnd davon nit engüt &c.
Ita decurso Psalterio fol. 310. p.
2. absque ulla distinctione succe-
dunt reliqua Cantica Biblica cum
Hymno *Ambrosiano* et Symbolo,
quod inscribitur *Sant atbanastus*
Psalms. His adhaerent Litaniae
OO. SS. cum multis Precationi-
bus, quas inter Salutatio angelica
ita sonat: *Gegrüßet sießt du maria*
vol gnaden Der Herr ist mit dir
Du